



## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Agenda Dioecesis Paderbornensis Rituali Romano  
accommodata**

**Hermann Werner <Paderborn, Bischof>**

**Paderbornæ, 1753**

Præfatio. Hermannus Wernerus Dei & Apostolicæ Sedis gratia Episcopus  
Paderbornensis, S. Romani Imperii Princeps, Comes Pyrmontanus,  
Cathedralis Ecclesiæ Hildesiensis Præpositus, &c.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-36023**



# HERMANNUS WERNERUS

Dei & Apostolicæ Sedis gratia Episcopus Paderbornensis, S. Romani  
Imperii Princeps, Comes Pyrmontanus, Cathedralis Ecclesiæ  
Hildesiensis Præpositus, &c.

*Omnibus Curam animarum habentibus salutem in Domino.*



Uamvis Sacrosancta Catholicæ Ecclesiæ Sacra-  
menta à Christo Domino in salutem fidelium instituta,  
essentialiter tantum in designatâ suâ materiâ, &  
brevissimâ forma consistant, quæ, si omissa, vel  
substantialiter variata fuerint, Sacrementum non  
tantum non constituant; sed & mutantis con-  
scientiam gravioris culpæ redarguant. Placuit  
tamen venerandæ antiquitati ab ipsis ferè nascentis  
Ecclesiæ incunabulis administrationem SS. Sacra-  
mentorum ad majorēm decentiam, populiq; devotionem excitandam,  
quibusdam cæremoniis supervestiri. Cum verò verbum salutis eo us-  
que excresceret, ut per universum orbem sancta dilataretur Ecclesia;  
evenit, ut plures Episcopi diversas quoque ceremonias & ritus in dispen-  
satione Sacramentorum, & administratione functionum Ecclesiasti-  
carum introduxerint: adeò, ut, qui in professione fidei Sanctissimisq;  
Sacramentis conveniebant, in externis ritibus à se invicem viderentur  
discrepare. Animadverterat idipsum sanctissimus Dominus felicis re-  
cordationis PAULUS V. Pontifex Maximus edideratq; Rituale Romanum  
omnibus observandum, sed & hoc non potuit tam cito ubivis locorum  
sine molestia introduci, ne rudior populus, quod non intelligebat, qua-  
si à Christo Domino institutum, & modo mutatum fuisse existimaret.  
Quocirca ab initio curæ Nostræ Episcopalis eò animum apposuimus, ut

## P R A E F A T I O.

omnes Ecclesiastici Nostri, præsertim ii, quibus cura animarum commissa est, sicut in officiis & sacrificiis, ita quoque in administratione sanctissimorum Sacramentorum, ceterisque functionibus Ecclesiasticis, sanctæ Romanæ Ecclesiae ritibus; quantum fieri potest, se conformarent. Quare re bene ponderatâ, attentisque variorum Parochorum novam Agendam postulantium desideriis, Rituale, seu Agendam, ut vocant, ita compositam & formatam damus, ut, quantum fieri potuit, antiquam Diœcesis Nostræ praxin retineat, & à Rituali Romano non deflecat. Quam, uti in vestrum commodum Parochianorumque salutem edidimus, ita volumus & mandamus omnibus & singulis Diœcesis Nostræ Presbyteris, Pastoribus, Sacellani, omnibusque curam animarum habentibus, ut hanc sibi Agendam comparent; & ab illius præscriptis ritibus nullo unquam modo vel prætextu declinent. Populum insuper in Catechesi diligenter instruant, ut intelligat sacros Ecclesiae Ritus pro excitandâ majori pietate fidelium esse institutos. Omnia denique tam sanctè pertractent, quam severè coram divinâ majestate rationem suæ administrationis sunt reddituri. Datum in Residentia nostra Neuhusana Anno Millesimo Sexcentesimo Octuagesimo septimo, die septima Julii.

